

B

154



~~100~~  
100

U. q. 17, 2



4  
Solo Favente Deo

SIGISMUNDUS

FINCKELTHAVS I. V. D.

ET PRO TEMPORE ACADE-  
MIÆ RECTOR

Feudales controversias illustres

*De Personis, quæ feudum dare, & accipere possint*

Publicè discutiendas proponit

Disputatione quintâ:

RESPONDENTE,

M. TOBIA HEIDENREICH

LIPSIENS.

In auditorio Iureconsultorum. Die 9. No-  
vemb. Hora VII. matutinâ.



LIPSIÆ,

Excudebat Laurentius Cober.

---

Anno M. DC. XV.









I.



Rebus ad personas transfertur. Sunt autem personæ vel dantes, vel accipientes feuda. Dare possunt omnes, qui legitimè suorum bonorum administrationem habent. (a) Accipere possunt omnes, cum quibus jure civili est commercium, & quibus nominatim non est prohibitum. (b)

a) Text: 2. f. 3. in princ. vers. novi verò. Ratio est, quia feudi datio est quædam alienatio, qui itaq; alienare, is & feudum dare potest. argum. l. in remandata. 21. C. manda. l. non usq; 2. ff. si à paren. quis manumif.

b) Tex. 2. f. 3. §. 1. vers. personam verò. Ratio est, quia voluntas Domini confirmanda est, nisi ei expressè commercium sit ademptum. In quem itaq; dominus velit transferre rem suam, de jure civili, is tuendus est & jure feudali. 2. feud. 1. vers. strenuus.

II.

Dantium jura primùm delibabimus. Est autem verè illustris controversia, quæ multorum exercituum sanguine cruenta vocatur: Utrum Imperator Romanum Imperium tanquam feudum recognoscat à Papa? Quod simpliciter contra Canonistas, & pontificios alios negamus.

A 2

Rat.



Rat. (1.) quia Imperator consequitur imperium non a Pontifice, sed ex suffragijs Electorum. *Aur. Bulla tit. 7. ibi. Rechte Wehler des heiligen Reichs. Quod & ipsi Pontifices fatentur in c. venerabilem. 34. in pr. vers. undè illis principibus. ext. de Elect. & in c. ad Apostolica 2. in fin. ibi. Illi autem ad quos. De sent. & re judic. in 6.*

Ratio (2.) quia si Imperium Romanum esset feudum Ecclesiasticum, constitutum id esset in bonis Ecclesiae, non in rebus secularibus. Ut enim sit Ecclesiasticum, non personæ, sed materia respicienda est. arg. text. 1. f. 6. ibi. de rebus, Ecclesiarum. 2. f. 35. ibi. de bonis Ecclesiae. 2. f. 40. §. fin. ubi Rex laicus dat feudum Ecclesiasticum in re sc. Ecclesiastica. Sed Imperium Romanum non est res Ecclesiastica, sed secularis, ut ipse Papa agnoscit in *can. cum ad verum. 6. distin. 96.*

Ratio (3.) quia nemo plus juris transferre in alium potest, quam ipse habet, ait Papa Bonifacius ipse in *cap. nemo potest. 79. de R. f. in 6.* sed imperium Romanum nunquam in Pontifices legitime fuit translatum. E. nec in alios transferre possunt.

### III.

Ab hoc loco non planè aliena videtur & illa celeberrima inter interpretes contentio de donatione Constantini Magni, quâ Pontifici Sylvestro Romam, & reliquas Italiae provincias donasse fertur. Eam autem sub incudem revocantes & de facto e mentitam (a) & de jure in validam, (b) & si facta esset, revocationi semper obnoxiam fuisse statimus. (c)

a) Rat. (1.) quia variè refertur. Aliter Palea in *can. Constantinus. 14. distin. 96.* quæ de totius regni occidentalis donatione loquitur. Aliter Melchiades in *can. futuram. 15. caus. 12. q. 1.* qui sedem imperialem tantum donatam dicit. Aliter Nicol. 3. qui solam urbem Romanam concessam esse ait in *c. fundamenta 17. de elect. & elect. potest. in 6.* (2.) Quia apud antiquiores historicos,



storicos, qui Constantini vitã diligentissimè descripserunt, non  
 modo exemplum illius donationis non reperitur, sed ne qui-  
 dem mentio ejus fit. (3.) Quia Eusebius, & alij fide digni histo-  
 rici scribunt, quod Constantinus inter tres filios suos imperium  
 in testamento diviserit, adeo ut Constantinus occidentalium  
 partium, Constantius orientalium, Constans interiectarum  
 princeps fuerit constitutus. (4.) Quia donationem nulla subse-  
 cuta fuit traditio. Constat enim omnium scriptorum consensu,  
 post Sylvestrum, & Constantinum ultra 400. annos Romam,  
 & Italiam sub imperatorum, non vero Pontificum imperio per-  
 mansisse. (5.) Quia causa donationis ficta est. Non enim Con-  
 stantinus Imp. Romæ, sed Nicomediæ, non à Sylvestro Papa, sed  
 ab Eusebio Episcopo, non ab initio imperij, sed anno ætatis 65.  
 immunis à lepra baptizatus est. Et huc (6.) spectat illud, quod  
 legatus Venetus Alexandro 6. inquirenti in Dominium maris  
 Adriatici subjecit: Ostendat mihi vestra Sanctitas Instrumen-  
 tum donationis à Constant. M. factæ, & à tergo majusculis literis  
 scriptam inveniet concessionẽ maris Adriatici Venetis factam.  
 (7.) Quia Sylvester mortuus est anno 335. Donatio autem à  
 Pontificijs facta dicitur eo anno quo baptizatus est, is verò fuit  
 annus Christi 337. quo & mortuus est. Sic igitur donatio facta  
 fuisset Sylvestro anno secundo, postquam jam mortuus erat.

b) Ratione donantis Imperatoris. (1.) invalida est, quia  
 Imperatoris officium est non diminuere, sed sollicitè admini-  
 strare, tueri, & augere imperium: Undè & semper Augustus  
 dicitur. *Novel. 11. 30. 116. 2. f. 52. 55.* Cui autem administra-  
 tio concessa est, is alienare non potest. *arg. cap. fraternitatem. 2.*  
*ext. de donat.* Ratione donatarij Papæ (2.) invalida est, quia fun-  
 ctioni ipsius repugnat, siquidem non regnare, sed orare Pa-  
 pam decet. *cap. cum ad verum 6. distin. 96.* Sacerdotium divinis mi-  
 nistrat, Imperium humanis præsidet. *Novet. 6. in præfat.* Nemo  
 autem militans Deo, implicare se debet negocijs secularibus 2. f.  
 21. Ratione rei donatæ (3.) invalida est, quia imperium non est  
 in commercio. E. donatio hæc nullius est momenti, §. non so-  
 lum. 4. l. de legat. §. Idem juris. 2. l. de inutilib. stipul. Ratio 4. quia  
 Pontifex legitimã probatione destituitur. Ipsius sanè testimoni-  
 um in causa propria nullum est. l. nullus 10. ff. de testibus. cum ipse



de seipso pleraq; prædicet, ut suæ tyrannidi robur addat.

c) Ratio (1.) quia Imperator Rom. juramento promittit, se velle ea bona, quæ ab imperio divulsa sunt primo quoq; tempore recuperare, ut arguit formula jurisjurandi Cæsarei apud Sleidan. lib. 1.

(2.) Quia tendit in præjudicium imperij, & contra ipsius Imperatoris honorem. *tex. in cap. intellecto. 33. ext. de jurejur.*

(3.) Quia Constantinus non potuit imperare successori, ut donationem ratam haberet. *arg. l. nam magistratus 4. ff. de arbitr. l. ille à quo. 13. §. tempestivum 4. ff. ad SC. Trebell.* Successor enim non tenetur, nisi quod honestas, & utilitas publica suadet ex actis prædecessoris supplere. Sed nemini dubium esse potest, quod hæc donatio utilitatem publicam diruat.

#### IV.

Pontifex (a) & reliqui Clerici (b) non tantum in rebus proprijs (c) sed & Ecclesiasticis (d) feuda constituere solent. Quod Niellius quidem perstringit, sed in dubium vocare conatur jus feudale commune certissimum, & hodiernum rerum statum.

a) Rat. (1.) quia si reliqui prælati infeudare possunt. *1. f. 1. in pr. dubium nullum est, quin & Papa possit. arg. l. Barbarius. 3. in fin. vers. quod jus multò magis. ff. de off. prætor. qui non tantum jure Canonico princeps sacerdotum dicitur. can. clericos. 1. distin. 21. §. pontifex, & caput Ecclesiarum fingitur. can. cuncta. 17. cap. 9. q. 3. sed & jure feudali. 1. f. 6.*

Ratio (2.) quia de Jure Cano. plenaria Pontifici in Ecclesiasticis dispositio permessa est. *cap. licet. 2. de præben. in 6.*

(3.) Sunt textus in *cap. ad Apostolicæ. 2. §. præter hæc. de sent. & re judic. in 6. Clem. unic. in fin. de jurejur.*

Exempla sunt Regnum Siciliae. *d. c. ad Apostolicæ. §. præter hæc.* Ducatus Spoletanus, Marchia Anconitana, & bona pars ditionum Italiae, quæ omnia ut Ecclesie Romanæ beneficia, interim quoq; succrescentibus novis, regali jure conferuntur.

b) tex-



b) Textus 1. f. 1. f. 3. 1. f. 9. 1. f. 25. §. si Dominus 2. f. 35.  
Ratio est, quia utilitas, & necessitas suavit, ut quondam Clerici  
feuda conferrent, in primis ubi religiosorum principum libe-  
ralitate, atq; alijs titulis, modis, & artibus fuerint dotati. Nam  
si fortè Ecclesia bellis offendatur, quia ipsa non arma gerere, sed  
precibus, & lachrymis studere debet. *can. non pila. 3. cau. 23. q. 8.*  
ideò necesse est, ut præsidio vasallorum bellicosorum muniatur,  
ne rapacitati, & injurijs improborum exponatur.

c) tex. 2. f. 35. *ibi. de suis bonis.*

d) Tex. 1. f. 1. 2. f. 35. *ibi de bonis Ecclesiæ. 2. f. 91. cap. ad no-  
stram 11. ext. dereb. Eccles. alien. vel non cap. ex parte 2. ext. de feud. Si  
modò antiquitus Solitæ sint infeudari. d. 1. f. 1. 2. f. 91. & 6. 2. ext.  
de feud.* Ratio est, quia per infeudationem solitam nullum dam-  
num in fertur Ecclesiæ; tùm enim prælatus ea facit, quæ antè se  
alij laudabiliter fecerunt, & quia semel omnia rite gesta sunt,  
semper hac lege Res illa affecta censetur.

#### V.

Pupilli licet rerum suarum sint domini, ta-  
men feuda nova dare non possunt.

Ratio est, quia firmo iudicio destituuntur. *l. fin. ff. de ma-  
num. vind. l. pupillus. 189. de R. l. ideò non habent liberam rerum  
suarum administrationem. l. iusjurandum. 17. §. 1. ff. de iurejur. Sed  
eorum bona à tutoribus administrantur. t. t. ff. de administ. tutor.*

#### VI.

Quod si verò pupilli absq; tutore, vel cum tu-  
tore, sed sine magistratus decreto investituram fe-  
cerint, quæstio elegans est, an pupilli saltem natu-  
raliter ex investitura obligentur? N.

Rat. (1.) quia naturalis obligatio provenit ex æquitate. *l.  
Stichum. 95. §. naturalis. 4 ff. de solut.* Sed nulla est æquitas, pupil-  
lum ex qualibet feudi novi datione obligari.

(2.) Quia nec naturalis obligatio ex imperfecto consensu  
oritur. *l. 1. §. 2. ibi, pactio est consensus. ff. de pacti.* Ex pacto autem  
naturalis est obligatio. *d. l. 95. §. 4.*

(3.) Quia



(3.) Quia naturalis ratio non permittit, ut pupilli sint sine tutore. §. Impuberes. 6. l. de Attilia. tut. E. eadem ratio naturalis non permittet, ut sine eo naturaliter obligentur.

(4.) Tex. sunt in l. pupillus. 59. ff. de obligat. & actio. quæ lex ex libro regularum deprompta est, ut indicat ejus inscriptio. E. regula est, quod pupillus ne naturaliter quidem obligetur. l. quod pupillus. 41. ff. de condict. indeb. l. 1. §. 2. ff. commodat. ibi. nec constitit commodatum in persona pupilli. Et in fin. ibi. quia ab initio non constitit.

## VII.

Minores verò 25. ann. num stipulantibus promittendo feudum novum sine curatorum consensu efficaciter obligentur, hîc non immeritò in quæstionem vocatur? Et negata conclusio placet (a.) Imò etsi curatorum consensus interveniat, ad huc tamen feudi datio non valet. (b) Minores tamen curatorem non habentes, etiam sine decreto infeudant. (c)

a) Ratio quia nec minores, cum nondum sint legitimæ ætatis. princ. Instit. de Curat. negocia sua tueri, & sine curatorum consensu obligari possunt. d. pr. l. 1. ff. de minor. l. si curatorem. 3. C. de in integ. restit. l. sine herede. 32. §. interposito. 4. l. à tutoribus. 33. §. 1. ff. de admin. tutor.

Textus sunt 2. f. 3. in pr. 2. f. 91. vers. à minore. ubi minores antiquum saltem feudum infeudare, novum verò dare minimè possunt.

b) Ratio (1.) quia minorum quoq; bona absq; decreto Judicis alienari non debent, etsi curatorum autoritas accedat. t. t. C. de præd. & alijs reb. minor. (2.) quia nec minor donare potest, quamvis curator consentiat. l. fin. vers. cum autem. C. si major fact. alienat. (3.) quia hic est finis curæ, ut curator minoris bona conservet, non distrahat. tot. tit. ff. de admin. tut. quod fit infeudando.

c) Ratio



c) Ratio est ex l. 1. C. de fidejuss. minor. ubi minor restitutionis remedio revocare prædium à se alienatum proponitur, & quia non fit mentio curatoris, consentaneum est, minorem eo fuisse destitutum. Rationis ratio est, quia si curatorem habuisset, sine eo, & sine decreto facta venditio, nulla fuisset, nec restitutionis beneficio quæ non nisi adversus validum contractum competit, sed nullitatis querelâ revocasset. Valet igitur ipso jure in d. l. 1. facta venditio, donec in integrum restitutione fuerit infirmata, & per consequens minor solus carens curatore, sine decreto etiam alienare potest immobilia. Rat. (2.) quia decretum introductum est, ut curatorum sollicitudini consulatur. l. 1. C. quand. decret. opus non est. Hæc enim tùm, ubi minor nullum curatorem habet, planè cessat.

### VIII.

Quæstio verò excussione digna est: Si minores jurent, se feudi novi concessionem inviolabiliter servaturos, an pænitentia locus sit, & feudum revocari possit? Affirm.

Ratio est, quia investitura de novo feudo à minore facta est contra legis feudalis prohibitionem. 2. f. 3. Ideò nulla. Proindè nec juramento firmari potest. l. juris gentium. 7. §. & generaliter. 16. ibi. nec jusjurandum. ff. de pact. l. non dubium. §. C. de legibus.

### IX.

Sed an tutores, & curatores nomine pupillorum, & minorum feudum novum constituent? Non (a) quamvis antiquum illis renovare permisum sit. (b)

a) Ratio (1.) est, quia novi feudi datio est quædam alienatio. 2. f. 3. vers. qui enim qualibet, atq; donatio, cum speciem beneficij contineat. 2. f. 23. §. ult. Sed tutores, & curatores liberam in bonis pupillorum, & minorum potestatem non habent, cum tantum res illorum administrare jubeantur, l. non omni. 16. C. de administ. tutor. non a. donare. arg. l. filiusfamilias. 7. in prin. ff. de donat.

B

donat.



donat. l. Lucius. 46. §. tutoribus. 7. ibi non etiam donare ff. de admini-  
str. tuto.

Rat. (2.) quia tutor ne quidem usum fructum rei pupillaris  
alienare potest. l. sed si. 3. §. nec usus fr. 5. ff. de reb. eor. arg. l. pa-  
ctum 22. C. de pact.

b) Ratio, quia per hanc renovationem nihil alienant, sed  
quod alienatum est, ex debito confirmant. arg. l. magis puto 5. §.  
si fundus. 4. ff. de reb. ebr. (2.) est textus in argumentum in l. nam  
& Servius. 21. §. si vivo. 2. ff. de negoc. gest.

### X.

Quid sit tutores, vel curatores decreto iudicis  
accedente feudum novum dent? Nec tunc datio  
feudi subsistet.

a) Ratio (1.) quia pupillorum, & minorum bona cum cau-  
sæ cognitione, & decreto iudicis in casu tantum necessitatis alie-  
nari possunt, puta ob urgens æs alienum. l. ob æs. 12. C. de præd.  
min. l. magis puto 5. §. non passim. 9. & seqq. ff. de reb. eor. (2.) quia  
vix est, ut magistratus sit arbitraturus, rem pupilli, & minoris  
in feudum dari debere, præsertim quia alienatio, quæ fit per in-  
feudationem, similis est donationi, quæ uti nec cum tutoris au-  
toritate. l. 1. §. 1. & 2. ff. de tutel. & ratio. distrab. ita nec ex decre-  
to valet. l. fin. C. si mai. fact. alien.

### XI.

Sed difficilis est indaginis, An uti minoribus  
sine consensu curatorum (a) ita & pupillis sine au-  
toritate tutorum (b) fundum Tusculanum, utpote  
feudum vetus renovare liceat? Affirm: cum com-  
muni.

a) Textus est 2. f. 3. princ. ubi non distinguitur an minor  
curatorem habeat, an non.

b) Ratio (1.) quia pupillus, dum feudum, quod in perpe-  
tuum ad vasalli heredes pertinet 2. f. 23. in fin. renovat, non ex  
facto proprio alienat, sed jam antea alienatum continuans con-  
firmat



firmat, atq; approbat. Et ad hanc renovationem faciendam partim ut heres ex obligatione majorum suorum tenetur, quorum factum præstare debet. *arg. l. veteris. 13. C. de contrab. stipul. partim ex dispositione juris feudalis cogitur. (2.)* quia solui potest à pupillo id, quod ex stipulatu pater debuit etiam sine tutoris, vel prætoris autoritate. *arg. l. magis puto. 5. §. sed si pater 6. & §. eadem ratione. 7. ff. de reb. eor. l. prædium. 3. C. quan. decre. opus non est. l. quam Tuberonis. 7. §. 1. §. verum antè constitutum. ff. de peculio. (3.)* quia pupillus hoc casu suam conditionem facit meliorem, liberat se ab obligatione paterna, comparat sibi per juramentum Vasalli auxilium, & fidele servitium, conciliat sibi superioritatem & auctoritatem.

## XII.

Mutus, & surdus infeudant. (a) Furiosus (b) prodigus (c) non infeudant.

a) Ratio, quia intellectu non sunt destituti *arg. l. pater. 93. §. 1. & 2. ff. de acquir. hered. Ideò donare non prohibentur. l. qui id quod 33. §. mutus. 2. ff. de donat. nec pacisci. l. item quia. 4. §. 1. ff. de pact. Imò præter stipulationem possunt omnem contractum celebrare. l. in quibuscunq; 48. ff. de O. & A. l. ubi non voce. 124. de R. l. Quocirca & feuda etiam nova dare licitè possunt, vel per scripturam, vel per eum saltem modum, qui procedere potest, ut ait text. in *l. mutus. 43. ff. de procurat. puta nutum. arg. l. obligamur. 51. §. sed & nutu. 10. ff. de oblig. & act. d. l. pater. 93. §. 1.**

Mutum verò & surdum intelligimus disjunctim sive natura, sive ex accidente. Si enim conjunctim ita natus sit, feudum non dat. Ratio, quia non intelligit, quid agat, & mortuo similis est. *arg. l. jubemus. 29. C. de testam. l. discretis 10. C. qui testam. fac. poss. Si verò conjunctim talis ex accidente factus sit, feudum dabit, ratio, quia negocij feudalis peritiam habere, & vel scripto, vel nutu animi sui sententiam declarare potest. Existimant quidam etiam mutum, & surdum naturâ feudum dare posse. A quibus dissentimus, præsertim quia feudalis contractus non à generali rationis humanæ discursu pendet, sed à civili ratione inventus est. Licet igitur mutus, & surdus naturâ habeat consensum, & tradere possit, non tamen in causam feudi, utpote negocium si-*



bi incognitum, ad quod institutus non est, tradere potest.

b) Ratio, quia nulla est furiosi voluntas, consensus, nullumq; iudicium. *l. in negocijs. §. l. furiosi. 40. De R. I.* Proinde per omnia, & in omnibus absentis, vel dormientis loco habetur. *l. si ei. 2. §. furiosus. 3. ff. de jure Codicill. l. ubi non voce. 124. §. 1. de R. I. l. 1. §. furiosus. 3. ff. de acquir. poss.* Furiosum verò accipimus qui continuâ mentis alienatione agitur, rapitur, & torquetur. *l. divus. 14. ff. de offic. pras. l. cum prator. 12. §. non autem. 2. ibi. perpetuò furiosus. ff. de judic.* Nam qui spurio saltem furore laborat, dilucidaq; habet intervalla, is non secus ac alia negocia infeudare potest. *arg. l. cum alijs. 6. C. de curat. furios. l. furiosum. 9. C. qui testam. fac. poss.*

c) Ratio, quia prodigo adempta est libera bonorum administratio. *l. 1. ff. de curat. furios. l. his qui. 12. §. Divus. 2. ff. de tutor. & cur. dat.* Prodigus porro is est, cui non ipso jure, sed à magistratu bonis interdictum est. Ratio, quia prodigalitas est facti, ideò iudicis arbitrio relinquenda. *arg. l. mora. 32. ff. de usur.* Et opus habet causæ cognitione. *l. observare. 6. ff. de curator. furios. textus sunt in l. si furioso. 16. §. 1. ibi. interdicitur esset. l. & mulieri. 15. ibi. potest. ff. d. t. l. patri 27. ibi. debet. ff. de minor.* Quæ verba: **DEBET & POTEST:** his quæ à magistratu, non quæ ipso jure perficiuntur, conveniunt. Lex enim in instanti operatur. Magistratus verò primùm causam cognoscit, & quid possit, quid debeat, dispicit. *arg. l. in ambigujs. 85. §. fin. de R. I.*

### XIII.

In Procuratore distinguimus: aut habet speciale mandatum, & infeudabit (a) aut habet generale, & antiquum feudum renovabit (b) non autem novum constituet (c) licet generale mandatum cum libera, uti vocant, habeat. (d)

a) Ratio, quia quod quis per alium facit, ipsemet fecisse videtur, *arg. l. ita autem. 5. §. quod si quis 3. ff. de administrat. tutor. l. in adibus. 9. §. quod filiusfam. 2. ff. de donat.*

b) Ratio, quia tùm nihil dat, sed datum confirmat, per superius tradita.

c) Ra-



c) Ratio quia administrare. *l. 1. ff. de procurat.* non donare debet. *l. filiusfam. 7. ff. de donat.* Omnis enim res ex fide agenda. *l. creditor. 60. §. Lucius. 4. vers. quasitum. ff. mand. & ex negotio. l. quâ ratione. 9. §. nihil. 4. ff. de acquir. rer. domin.* hoc est, ex re, & ratione, seu utilitate, ac necessitate negocij, quia res vel peritura, vel deterior futura est.

d) Ratio (1.) quia eadem est potestas mandati generalis, & cum libera. Quod enim in *l. procurator. 58. & l. seq. ff. de procur.* tribuitur procuratori cum libera, ut scilicet creditoribus solvat, id etiam procuratori omnium rerum in *l. quodlibet. 87. ff. de solut.* tribuitur (2.) quia libera administratio non definit esse administratio. Pugnat enim cum administratione donatio. *d. l. 7. ff. de donat.*

### XIIII.

Rusticum posse feudum dare, uti communior, ita & verior est sententia, licet magni nominis Iureconsulti anxie contrarium defendant.

Ratio (1.) quia rusticus non impeditur donare, seu beneficium in alium conferre, nec proprietatem simul cum Usufructu alienare. *arg. l. non usq; 2. ff. si à parente quis manumis.* E. multò magis ita alienare poterit, ut proprietatem translato usufructu retineat. *2. f. 3. princ.* nam duplex vinculum simplicitatem unius admittit. (2.) quia fides est de substantia feudi, & forma essentiali. *2. f. 3. in fin. 2. f. 23. in fin.* quam æquè exhibere potest rusticus, ut alius (3.) quia nusquam in feudis nominatim prohibetur. E. ei permissum censeretur. *arg. l. nec non 28. §. 2. ff. ex quibus caus. major.* (4.) quia cum minimi valvasores seu valvasini infeudare possint. *l. f. 7. in fin. 2. f. 10. ibi. hodiè eodem jure utuntur,* etiam rustici, & nullo honore præcipuo cluentes infeudare poterunt: æquiparantur enim valvasini, & plebei ignobiles.

### XV.

Fœminæ num feuda dare possint, disputatio non omninò est inelegans: Sed sunt textus feudales aperti, & rationes pro fœminis urgentes.

B 3

Text.



Text. sunt. 1. f. 1. *ibi, Abbatissa.* 2. f. 3. §. 1. *vers. fœminam.* 2. f. 91. Ratio (1.) quia ex naturali æquitate res proprias habere, & libere administrare possunt. §. *per traditionem.* 41. I. *de rer. divis.* (2.) quia non minus ac viri beneficia in alios conferre possunt. l. *donationes.* 31. §. 1. ff. *de donat.* nec mulieribus donantibus ex SCto Vellejano succurritur. l. *sed si.* 4. §. 1. *in fin.* ff. *ad SC. Velleja.* (3.) succurrit mulieribus defensionis comparandæ necessitas. (4.) Reipub. favor, cui paratos esse viros strenuos, quocunq; modo quæsitos summè interest, (5.) Quia quò mulieres in acquirendo tenaciores, eò in dando rariores sunt.

### XVI.

Accipientium jura nunc considerabimus. Ubi primùm nihil interesse dicimus accipiens sit clericus, vel laicus: nam & clericus tam à laico, quàm Ecclesiastico ex moribus receptis feudum acquirere potest, (a) quamvis in contrariam partem ex jure aliquot ponderosa militent argumenta.

a) Tex. 2. f. 40. §. *item si clericus*, ubi clericus jure feudali permittente feudum habuit, sed propter culpam amittit, quæ privatio habitum præsupponit. text. in *c. ex transmissa.* 6. ext. *de for. compet.* Ratio est, quia non minus clericus dignus est, in quem beneficium conferatur, quàm alius. Et tùm Dominus (1.) vel planè renunciasse censetur servitijs, vel (2.) tacitè vult, ut servitia talia clericus applicet feudo, quæ personæ ipsius sunt convenientiâ vel (3.) intelligitur gratiam facere clerico, ut serviat per substitutum. arg. 2. f. 26. §. *si quis decesserit.* 12.

### XVII.

Infantes (a) & furiosi (b) non per se, sed per tutores, ac curatores feuda acquirunt.

a) Ratio, quia infantes hoc est minores septem annis. l. *si infanti.* 18. C. *de jure deliberan.* l. 1. §. *sufficit.* 2. *in fin.* ff. *de administrat. tuto.* nullum intellectum, consensum, affectum habere, adeoq; absentium loco esse censentur. §. *sed quod diximus.* 10. I. *de inutil. stipul.*



*Stipul. l. in negocijs. 5. de R. I. Idem cum nullum nec jure civili, nec gentium cum ijs sit commercium, non per se, sed per tutores acquirunt. d. l. si infanti. 8. §. parente. 2. d. l. 1. §. sufficit.*

b) Ratio, quia furiosus nihil agit sive stipuletur, sive promittat. l. 1. §. furiosum. 12. ff. de O. & A.

### XVIII.

Pupilli verò infante majores sine autoritate tutorum (a) ut & minores sine consensu curatorum (b) feuda rectè accipiunt.

a) Ratio (1.) quia pupilli expressè injure feudali feuda accipere non prohibentur. Ergò arg. text. 2. f. 3. §. 1. vers. personam verò. (2.) quia pupilli quantum ad acquirendum non indigent autoritate tutorum. prin. Inst. de autor. tut. l. pupillus. 11. ff. de acq. rer. domin. l. obligari. 9. ff. de autor. tut. Sed accipiendo feudum, beneficio afficiuntur. 2. f. 23. in fin. adeoq; conditionem suam meliorem faciunt (3.) quia servitia per alium præstare possunt arg. 2. f. 26. §. si quis decesserit. 2. f. 55. §. 1. puta per tutorem, procuratorem. 2. f. 3. §. 1. vers. sed utrum ipse.

b) Ratio (1.) quia minores nullibi in jure feudali prohibiti reperiuntur (2.) quia pupilli sine tutorum autoritate feudum accipiunt. E. multò magis minores sine curatorum consensu. (3.) Quia Juramento sine curatorum consensu obstringuntur. Auth. Sacramenta puerum. C. si advers. vendit. Pro feudo autem obtinendo præstant minores Juramentum fidelitatis. 2. f. 55. in fin. prin. vers. præterea si quis infendatus. Ubi minores ad fidelitatem, & servitia tenentur, & feudo cadunt, si non intra fatalia renovationem petant. Ideò obligantur. 2. f. 7. (4.) Quia minores sine curatorum consensu rem suam meliorem facere possunt. l. puberes. 101. ff. de V. O. l. sine herede. 32. §. interposito. 4. ff. de administ. tutor. E. & feudum per se accipere possunt. l. 1. & 2. C. si advers. creditor.

### XIX.

Fœmina quoq; de feudo novò investiri potest.

Text. l. f. 8. §. filia. 2. 2. f. 17. 2. f. 30.

Ratio



Ratio est, quia nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem Domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. §. *per traditionem*. 41. *I. de rer. divis. l. in re mandata*. 21. *C. de manda. E.* & Dominus fœminæ, licet non regulariter, feudum concedet. Dominus autem imputabit sibi, quod sciens vasallum non militarem elegerit, sed minus idoneæ personæ feudum contulerit, & ob id vel nulla servitia à fœmina exigere potest: vel quia feudi contrahendi causa conventum, nec tamen ita pactum videri potest, ut in persona serviret, jure, & honestate resistente, ideò ut res in tuto ponatur, nec actus pereat, mens contrahentium interpretatione conservanda, ut Dominus fœminæ gratiam fecisse censeatur, quod voluerit per substitutum servitia expediri. Potest enim Dominus gratiam facere cui vult. *l. f. 24. ibi, dare voluerit.*

## XX.

Sic & mutus (a) surdus (b) cæcus (c) prodigus (d) feudorum novorum sunt capaces.

a) Ratio, quia licet loqui haud valeat, tamen per eum modum, quo potest Domino fido consilio adesse. *arg. l. mutus. 43. ff. de procurat.* & nutu id significare potest. *arg. l. obligamur. 51. §. sed & nutu. 10. ff. de O. & A.*

b) Ratio, quia licet audire haud valeat, tamen si quid cognoscat Domino imminere, poterit id literis significare, vel alio possibili modo. *d. l. mutus. 43.*

c) Ratio, quia licet videre haud valeat, tamen cum non sensus oculorum in negotio feudali, neq; semper corporis valetudo, sed mentis, & consilij integritas spectetur. *arg. l. cæcus. 6. ff. de judi.* & plerunq; oculorum defectum præstantia aliorum sensuum reficiat, ideò & Dominus vasallum cæcum aliàs virtute præditum, sibi eligere potest.

d) Ratio, quia licet furere videatur in bonis suis. *l. i. de curat. furios.* tamen id ita est in alienando, non in acquirendo: hætenus enim furor in bonis tanquam dilucidis intervallis cessat. Hicce verò casibus Dominus præsumitur personis corporis, aut animi defectu laborantibus gratiam facere, ita ut vel servitia planè non, vel per substitutum sibi præstentur: hæc enim tacita vo-



ea voluntas à necessitate sermonis conjecturam habet. & faciunt  
textus. 1. f. 24. 2. f. 3. §. 1. *vers. personam.* & *vers. sed utrum ipse.* 2. f.  
26. §. *si quis decesserit.*

## XXI.

Filiofamilias quod feudum dari possit extra  
controversiam est. Verum illud gravi apparatu in  
utramq; partem controvertitur. Num filiusfami-  
lias ex feudo, quod accepit, usumfructum patri suo  
acquirat? Nos in hoc conflictu Dd. acerrimo ne-  
gantium castra sequemur.

Rat. (1.) quia talis est natura feudi, ut in eo pater filio non  
succedat. 2. f. 50. E. nec usumfructum ex eo habet, de cujus suc-  
cessione in hac Domini concessione disceptatur. Si enim pater  
ad usumfructum admitteretur, eo ipso bona feudalia, quæ tan-  
tum in usu fructu consistunt, proprietate apud Dominum rema-  
nente, acquireret. 2. f. 23.

(2.) Quia feuda plerunq; contemplatione militiæ dantur.  
2. f. 7. *vers. Et si sci vero.* ideò censentur jure peculij castrensis. arg.  
l. 1. C. de cast. pecul. Hujusmodi autem peculij usum fructum non  
pater, sed ipse filiusfam. habet. l. cum oportet. 6. in fin. princ. *vers.*  
*Exceptis castrensibus.* C. de bon. quæ lib. Habetur enim in peculio  
castrensi pro patrefam. l. 2. ff. ad Macedon.

(3.) Quia filiofam. feudum concessum est. E. etiam ususfru-  
ctus, aliàs enim nihil ad eum perveniret, siquidem feudum nihil  
aliud est, quàm usus fructus rei in feudum concessæ. 2. f. 23. in fin.  
qui ad accipientem indistinctè debet transire. Accipiens autem  
hoc loco est filiusfam. (4.) quia Dominus filium præ patre elegit,  
& ab illo sibi servitia, tanquam præ patre ad ea maximè apto  
præstari voluit. Ideò ex necessitate sermonis, & interpretatio-  
ne negocij hoc actum intelligitur, ut filiusfam. ex industria ele-  
ctus, non pater habeat usumfructum, aliàs feudum in effectu alij  
acquireretur, quàm cui & jus feudale d. 2. f. 50. & Dominus con-  
cessum voluit. 2. f. 12. in fin.

(5.) Quia & aliàs pater usum fructum non acquirit, si veri-  
simile

C

simile



simile est magis contemplatione filij, quam patris usum fructum esse relictum. arg. *l. ex libris. fin. in fin. C. de usufr.* (6.) Quia si pater haberet commodum ususfructus, & filio relinqueretur labor in servitijs militaribus præstandis, careret gaudio filius, & deciperetur beneficio. 2. f. 23. qui juvari deberet. *l. in commodato. 17. §. sicut. 3. in fin. ff. commodati.*

## XXII.

Rusticum etiam ab hoc consortio feuda accipientium non excludimus.

Ratio (1.) quia fidelis esse potest (2.) quia ad sustinendas belli difficultates non aded est ineptus. arg. *tex. 2. f. 34. §. 1. ibi. cuicumq; etiam rustico.* (3.) quia nusquam accipere prohibetur arg. 2. f. 3. §. personam.

Textus quidem in *c. 2. Lehenrecht* / rusticos feudorum capaces esse negat. Sed huic consuetudine derogatum, ut testantur duo nostri Interpretes Saxonici clarissimi *Coler. par. 1. decis. 77. & Rauchbar. par. 2. q. 21. num. 37.*

## XXIII.

Dubia est investigatio: An infamibus feudum obvenire possit? Negatæ sententiæ accedendum putamus.

Rat. (1.) quia tam Juris civilis auctoritate personæ honestæ associari debent personis honestis arg. *l. non omne. 144. de R. I. §. Juris præcepta. I. de I. N. G. C.* quam juris feudalis dispositione Dominus versari debet cum tali vasallo, qui vir sit integræ existimationis arg. *text. 2. feud. 37. ibi. ut in Curia amplius stare non possit.*

(2.) Quia feudum datur regulariter intuitu militiæ. 2. f. 7. *vers. Et si sci vero. 2. f. 21. ibi miles seculi.* Sed infamis non recipitur miles. *l. milities. 3. C. de re milit.* (3.) quia in decidendis controversijs feudalibus testes plerunq; producuntur ipsi tantum convasalli. *text. 1. f. 2. §. 1. 1. f. 4. §. 1. 1. f. 11. 2. f. 25. in fin.* Infames autem testimonium perhibere nequeunt. *l. testium. 3. in prin. & §. lege. 5. vers. fin. ff. de testib.*

## XXIV. De



De spurio quid dicemus, num feudum novum accipiet? Anceps itidem quaestio. Negab.

Ratio, quia si honestæ saltem personæ, & vasalli integræ existimationis feuda habere debent, ut innuitur in text. 2. f. 27. *ibi. ut in curia. f. 26. §. naturales.* Utiq; spurius investiri nequit; Licet enim spurij neq; juris. *t. t. ff. de his, qui not. infam. neq; facti infamiâ sint notati, utpote quæ ex delicto proprio. l. cognitionum. §. 1. ibi. ex delicto nostro. ff. de extraord. cogn. & turpitudine commissâ. l. fratres. 27. ibi, vel turpitudinis. C. de inoff. testam. oriatur, ita quidem, ut factum sit probatum, convictum, damnatum. l. honori. 2. ff. de obseq. par. & patro. præstan. l. fin. C. de probat.* Spurij verò alieno vitio laborent, cum non sit culpa ejus, qui gignitur, sed ejus, qui generat. arg. *can. nasc. 5. dist. 56.* Ob illegitimos tamen natales alienâ maculâ laborant. arg. *d. l. fratres. 27. ibi. levis notæ macula. l. ob hæc. 20. ibi pudor. ff. qui not. infam.* Undè Spurij à lege divina, & canonica, & communi quodam gentium, ac rerum publ. jure notantur, scilicet ex quo concubitus matrimoniales tantum probantur, reliqui improbantur, & damnantur, adeoq; ex his nati tacitè notati videntur. Certè illi labe quadam in repub. vacare non possunt, qui patrem, cognationem, & insignia non habent.

*Cordlarium ex Jure Saxonico.*

An de Gerada, æs alienum defuncti mariti, in concursu creditorum sit exolvendum, an verò vidua Geradam prius deducat, antequam æs alienum creditoribus solvatur? Vera, & præjudicijs firmata est sententia, mariti



riti debita etiam de gerada, constante  
matrimonio acquisita, in subsidium  
persolvenda esse.

Ratio (1.) quia iniquum est, ut mulier de lucro captando li-  
tigans, præferatur ijs, qui de damno vitando certant. arg. *l. non  
debet. 41. §. 1. de R. I. l. & si quis. 14. §. 1. in fin. ff. de relig. & sumtib.  
fun. l. fin. §. & si præfatam. 4. in fin. C. de jur. deliber.*

(2.) Quia cum Gerada debeatur uxori ex bonis mariti de-  
functi, ideò creditoribus postponenda, non præferenda est, bo-  
na siquidem non intelliguntur, nisi deducto ære alie-

*no. l. subsignatum. 39. §. 1.  
de P. S.*

F I N I S.





155254

ULB Halle

3


006 685 17X



R VD 17







2  
P  
M





4

Solo Favente Deo

# SIGISMUNDUS

## FINCKELTHAVS I. V. D.

ET PRO TEMPORE ACADE-  
MIÆ RECTOR

Feudales controversias illustres  
*De Personis, quæ feudum dare, & accipere possint*  
Publicè discutiendas proponit

Disputatione quintâ:

RESPONDENTE,

M. TOBIA HEIDENREICH  
LIPSIENS.

In auditorio Iureconsultorum. Die 9. No-  
vemb. Hora VII. matutinâ.



LIPSIÆ,

Excudebat Laurentius Cober.

Anno M. DC. XV.

